

No. 389. 1325. 15. Jan.

B. Withego II. entscheidet einen Streit zweier Domherren wegen der Prübende Cossebaude.

In nomine domini amen. Nos Wythego dei gratia episcopus ecclesiae Misnensis concorditer et voluntarie arbitrator et amicabile compositor electus a domino Heynrico de Gubin ex una et domino Her. de Wolftitz custode ex parte altera canonicis ecclesiae praedictae super lite et controversia decidenda, quae vertitur inter eosdem super portione dominicalium denariorum, petitione partis utriusque super eadem portione coram nobis facta, auditis, intellectis et examinatis allegationibus, iuribus earundem partium ac visis statutis per dictae ecclesiae capitulum editis super eiusdem capituli portionibus assequendis, invenimus, quod praedictus dominus Henricus in petenda portione Kossebude non fuit aliquo modo negligens vel remissus. Unde deliberatione diligenti praehabita, pro bono pacis et concordiae, et ut in iustitia quilibet conservetur, ex vigore compromissi, quo in nos dictae partes compromiserunt, dei nomine invocato arbitramur, diffinimus et dicimus, quod portio denariorum dominicalium nunc vacans, ex quo ad optandum secundum statuta capituli praedicti fuit exhibita et a nullo adoptata, saepedicto domino Heynrico prout petivit ex vi sui ordinis debet assignari. Et deinde praefato domino Her. portio, quae primo post hanc vacaverit, exhibitione et optione praemissis debet sine contradictione qualibet assignari. Latum et lectum est huiusmodi arbitrium Misnae in capitulo Misnensi, praesentibus et consentientibus omnibus et singulis canonicis, qui tunc praesentes fuerunt, videlicet domino Conrado de Strele praeposito Wurczinensi, domino Lutoldo praeposito Haynensi, domino Heynrico de Wratizlavia, domino Bern. archidiacono Nisicensi, domino Al. de Lisenik cantore, domino Johanne de Strele, domino Heynrico de Gubin, antedicto domino Her. de Wolftitz custode, domino Reynhardo marschalko, domino Al. de Gubin et domino Her. praeposito Budesinensi anno domini M^o.CCC^o.XXV^o. sabbato proximo ante diem Fabiani et Sebastiani martyrum beatorum. In cuius rei testimonium nostrum sigillum maius praesentibus est appensum.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Bischofs an einem von der Urkunde zum Theil abgetrennten Pergamentstreifen.

No. 390. 1326. 2. Mai.

B. Withego II. genehmigt mit Zustimmung des Capitels die von Heinrich von Guben Propst zum Hain und dem ewigen Vicar Syboto geschehene Uebereignung von Zinsen und deren Verwendung zu Begehung gewisser Jahrgedächtnisse.

In nomine domini amen. Wythego dei gratia episcopus ecclesiae Misnensis universis et singulis, ad quorum notitiam praesentes litterae pervenerint, salutem in omnium salvatore. Cum a nobis quod iustum est petitur, tam vigor aequitatis quam ordo rationis postulat, ut id per sollicitudinem nostri officii ad effectum debitum iuxta petentium desiderium deducatur. Proinde universis tam praesentibus quam futuris